



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Felices seniores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A solent. Ab Ægyptiis enim ea primordia sumpserunt, vel haudquaquam dissimilia sunt ab eorum inventis. Cattus igitur in hujusmodi gestaminibus insigne fuit, ut vetustæ indicant inscriptione, ejus ordinis qui AUGUSTEI vocabantur: hi sub magistro peditum stipendia faciebant. Erat vero Cattus is prasini coloris in alma parma, quam ruber circulus ambibat, late marginem circumplexus, gestus ejus ut currentis, reflexo in dorsum capite.

FELICES SENIORES. CAP. XLIV.

A Libi dimidijs Cattus rubri coloris in parma puniceo dilutiore spectabatur, qui à margine rubro surrectus, pedibus ad lufum compositis, ad blandiri videbatur. Insigne hoc erat, quantum ex vetustis ipsius reliquijs colligere potuimus, FELICITUM SENIORUM, qui sub eodem magistro peditum militabant.

ALPINI. CAP. XLV

B Sub eodem Duce signum etiam militare fuit, in quo Cattus coloris punicei diluti, recta facie progrediens, habebatur in parma viridi, cujus marginem albus circulus ambibat. Gestamen hoc erat militum, qui ALPINI vocabantur.

Sed jam, Jo. Antoni charissime, nolim otium tuum curiositate aliqua mea inturbare, dum morosa & levi forsan dictione studiorum tuorum cursum intercipio. Hæc igitur pro qualicumque munusculo ita ex improvviso comparato, satis fuerint: de reliquijs, si argumentum minime displicuerit, alias plura coram coferemus.

JOHANNIS PIERII VALERIANI
HIEROGLYPHICORUM
LIRER XIV.

C DE HIS QUÆ PER SERPENTEM IN GENERE
SIGNIFICANTUR.

Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD CLARISS. CARD. BERNARDINUM MAFFÆUM.

Recandissima illa amicitia suavitas tua, meusque erga te cultus, & per vetus admodum observantia, quæ Romæ primum, vel à primis laudatissima adolescentie tue annis instituta, mox Patavii, quo ad ingenii cultum capeendum concesseras, clarissimarum virtutum tuarum ingenijque sanctissimi cognitione aucta est: & tuo in omnibus rebus meis patrocinio confirmata, efficiunt, ut nullo inquam tempore, neque longissimo quantumvis loco remotus, immemor tui esse possim. Quare, licet aliquot abhinc annis te non viderim, nunquam maxime longe absis, & in Cardinalatus splendorem assumptus, necesse est te magnis omnino negotiis & occupationibus detineri: tam mihi tamen oculis inhaerescis, ac sicut coram continuo conspicerem. Hinc factum est, ut cum domi aliquantulum otii nactus lucubrations illas, quas tantopere videre concupiscis, recognoscerem, easque in libellos unamquamque suos dirigerem, earum partem ad te mittere cogitarim. Id opportune necne fecerim, non sat scio, ac certe amanter & ex officio à me factum hoc certo scio: ut scilicet haberes istæ, in ista qua fulges amplitudine, si tibi tantulum horæ vel à publicis curis, vel à tuis sanctioribus studiis vacuum relinqueretur, quod cum Pierio tuo loquerere, qui te semper unice sancteque coluit ac observavit. Neque tamen tanquam summa eruditiois tuae nescius, arbitratus sum novi me quicumquam allaturum tibi: verum quia nullum unquam abs te sermonem uberiores, dum una fuimus haurire me solitam meminerim, quam de literis & disciplinis, id dedi operam, ut de literis & disciplinis nosset hic per libellum, quem ad te misi, congressus